

ad medicos et pharmacopolas, de confessorio non curatur, nisi cum æger fere desperatus est; contra praxin Christi, qui prius peccata paralytico dimisit, quam conferret sanitatem, et in hod. evangelio prius incredulitatem patris, quam morbum filii sanavit; contra capitulum: *Cum infirmitas*, de pœn. et remiss. ubi medicis præcipitur, ut jubeant ægros ante omnia advocare medicos animarum: *Si enim sic curritur propter lucrum paucorum dierum (quia et usque in senectam passoi dies) quomodo non currendum et pro vita æterna?* Inquit S. August. ho. XXXVII. l. l. hom.

Verum, auditores, talis aliquando regulus fuit, regulus, inquam, fuit: parvum fidei scutum, parvam spei galeam, parvam charitatis loriceam habuit; sed ubi ad Christum conversus plene in eum credidit utique rex factus est, et non solum fide, sed et spe et charitate crevit. Nos ergo similiter, si prius reguli fuimus, in his tribus virtutibus, cuius homini necessariis, pusilli, demus operam ut reges fiamus: si secuti sumus pusillum, sequamur et magnum: *Cum essem parvulus*, ait apost. I. Cor. XIII. *loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

## CONCIO II.

REGULUS EVANGELICUS NON ABSIMILIS REGULO  
AVICULÆ.

I. Quia tempore adversitatis ad Christum venit. — II. Quia orat in tribulatione. — III. Quia vicit Christum sua oratione. — IV. Quia per discursum seipsum ad fidem convertit et promovit. — V. Quia convertit se ad domum suam.

## THEMA.

*Erat quidem regulus.* Joan. IV.

Non consentiunt doctores, quam ob causam pater infirmi filii, de quo in hod. evangelio sermo est, regulus appelletur. S. Hieronymus hanc affert, quod fuerit de aula regia seu palatinus: S. Chrysostomus, quod: *De regio esset genere, aut alia principatus dignitate fungeretur*: Origenes, quod forte esset de familia Tiberii Cæsaris, exercens pro eo aliquod officium in Judæa: cardin. Baronius, in annalibus, quod videatur princeps fuisse et dominus Capharnai: Nonnus, quod vir regius, regens exercitum. Verum quidquid de his sit, ego recte sic appellatum dico, quia aviculæ illi, quam Latini *regulum*, vel, etiam *regaliolum*, Germani similiter vulgo quod sepes amet et transmeare soleat appellant, persimilis repe-

riatur. Cum hac enim convenit nomine in primis: deinde in mensura: quid enim regulus nisi parvus rex? Et quæ ex omnibus avibus regulo minor est? Videamus ergo num et aliæ hujus aviculæ proprietates, quæ regulo nostro quadrent.

I. Regulus seu regaliolum per ætatem non in urbibus, sed in silvis conspicitur; at in hieme ad civitatem migrat, uti refert Aldrov. l. XVII. ornith. c. I. Æstas prosperitatis, hiems adversitatis tempus significat, juxta id Zach. XIV. *In die illa (calamitatis) non erit lux (clara et æstiva) sed frigus et gelu.* Regulus quamdiu bene habebat, nec aliqua calamitate tangebatur, adeoque æstiva serenitate gaudebat, non accessit ad Christum, sed morabatur in Capharnaum, quod significat *agrum delectationis vel jucunditatis*, aut *villam pulchritudinis*; at ubi eum tribulationis hiems invasit, ubi morbus filii lethalis in angustias conjecit, ibi deserit suum Capharnaum, et supplex ad Christum venit in Cana Galilææ, medelam filio, et solatium sibi quærens. Sæpius observatum est leones, quando casu aliquo spinam pedi infixerunt, homini se prosternere, et opem ejus implorare. Ita Plinius, l. VIII. c. XVI. scribit: « Mentor Syracusanus in Syria leone obvio, suppliciter volutante, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret sese, et vestigia lamberet, adulti similis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnusque, et extractis, liberavit cruciatu. » Fuit regulus hic, dum bene haberet, quasi leunculus in silva (sic Judæorum principes appellantur *leones rugientes*, quia superbe dominabantur, Sophon. III. et rex Joachim appellatur *leunculus in silva*, Ezechiel. XIX.) nihil curans Christum, licet in Capharnaum prius commorantem; at ubi charissimo in filio pati et affligi cœpit, ibi ad medicum occurrit, et coram eo se prosternit, auxilium efflagitans. Hoc medio etiam S. Gregorius Magnus utendum suavit contra paganos rusticos persistentes in sua infidelitate. Ita enim scribit, lib. III. epist. p. XXVI. ind. XII. ad episcopum Sardinia: « Jam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ et obstinationis inventus, ut ad Deum venire minime consentiat; tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare. » Multo difficilius convertuntur, et ad frugem perducuntur principes et nobiles, quam agricolæ, quemadmodum et regulus avicula difficulter capitur, teste Aristotele, lib. IX. histor. animal. cap. XI. Quare eos morbis plerumque invadit Deus, ut cum regulo evangelico ad Christum vel compulsi veniant. Hinc de Jezabele, hoc est, nobili quadam,

sed hæretica muliere, scribit S. Joannes ex ore Christi ad episcopum Thyatiræ: *Non vult penitere a fornicatione sua: ecce mittam eam in lectum*, hoc est, percutiam eam morbo, ut optime Aretas et Pannon. explicant, Apocal. II. Solent etiam reguli, ut dixi, ad hominem proxime advolare, quasi mox capiendi: at si manu eos apprehendere tentes, in momento fugiunt. Idem videmus in magnatibus: amant secum habere viros religiosos, a quibus tamen corrigi se non patiuntur.

II. Regulus avis musica est, et cantat tempore magni et sicci frigoris in hieme, uti constat, et scribit Albertus Magnus, apud Aldrov. Regulus etiam noster, qui in æstu prosperitatis forte nihil cantavit, nunc cantat in bruma tribulationis: et quid? *Domine descende* (in domum meam) *priusquam moriatur filius meus.* Musica quædam cantilena est oratio, quando vox orantis concordat cum attento ad Deum animo, elevatis quoque manibus, et positis humi genibus. Qui tam bene canit, Deum facile placabit, et ab hoste tutus erit: « Sicut enim fures, inquit Cljmacus, de discretionem Græc. XXVI. cum arma regis aliquo in loco posita viderint, non illuc facile ascendunt: ita et qui cordi orationem conjunxit, non fortuito ab intellectualibus latronibus violari poterit. » Quo facit id Psalmi LXXVI. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.* Psalterium Illyricum legit: *Et non captus ab aucupe.* Bene ergo sperandum est de illo, qui per orationem Deo se prosternit, uti indicat Dominus, loquens Anania, qui timuit adire Saulum, velut lupum et Christianorum hostem: *Quære*, inquit, *in domo Juda Saulum nomine, Tarsensem: ecce enim orat*, Actor. IX. *Orat, igitur ne time*, ait in eum locum S. Chrysostomus, homil. XX. in Act. Vicissim: « Quemadmodum civitas, inquit idem Chrysostomus, lib. II. de orat. quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium: sic et animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelere implet: » et rursum: « Si te ipsum oratione destitueris, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris. Ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio. » Perfectior hæc oratio in tribulatione erit, si cum laude et gratiarum actione conjuncta erit. At quis, inquit, cantare, et gratias agere in calamitate queat? Cantat certe regulus gelidissima in bruma. Diogenes etiam ille philosophus in adversis casibus alta voce cantillabat, ut refert Stobæus, serm. CVI. qui tamen nihil mercedis ex illis sperabat; non gaudeat Christianus, qui ex patien-

tia tribulationis maxima sibi præmia in cælo parata novit? Certe S. Franciscus hiemali in bruma per silvam pene nudus incedens, hilari voce et lingua Francica laudes Deo canebat: interim a latronibus tentus, verberibus mulctatus, et in foveam nivibus oppletam dejectus, ubi emersit, altiore et hilariore voce personare Dei laudes cœpit, ut in ejus vita S. Bonaventura. Dicebat enim: *Tanta est gloria quam expecto, ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet.*

III. Regulus, licet minimo sit corpusculo, contra aquilam tamen pugnare conatur, ut refert Aristoteles, lib. IX. histor. cap. XI. Plinius et alii apud Aldrov. et hinc *regulum* dictum voluit, quasi aquilæ, avium regis, æmulum, imo et victicem. Fabulantur enim regulum de imperio cum avibus contendisse, ut pro rege habeatur illa, quæ sublimi volatu alias superaret: cumque id facile præstaret, regulus, qui sub alis ejus latebat, insedit aquilæ capiti, inde se victicem asserens, Plutarchus, de ger. reipubl. præceptis, et Aldrov. loco citato. Aquilæ comparat Christum S. Maximus, homil. II. de pentecoste, quia rex omnium sæculorum immortalis. Cum hoc certare conatus est regulus evangelicus, dum ejus præsentiam, et quidem celerem, ad impertiendam filio sanitatem requirit. Restitit ei Christus dicens: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, quasi diceret: Nonne sat multa miracula vidisti? Debeone tibi nova facere, quæ tu ipse videas? Non est hoc quod quæro, videtur dicere regulus; sed ut filium meum sanes. At quid opus mea præsentia, replicat quasi Dominus, cum absens possim sanare filium tuum? At ille: Hoc ego non capio; quare descende priusquam moriatur filius meus. Itaque sua instantia Dominum quasi compellit dicere: *Vade, filius tuus vivit.* Videtur hæc lucta similis illi, qua cum angelo aliquando luctabatur Jacob, Genes. XXXII. Tenuit Jacob angelum, debilis fortissimum; sed ille nervum Jacobi incidit: pervicit tamen Jacob, nec dimisit angelum, donec benedictionem ab eo obtineret. Benedixit igitur et angelus, sed et nomen ei mutavit: *Nequaquam*, inquit, *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Potentissimus erat Christus, infirmus autem regulus; sua tamen precandi instantia, licet ab eo ictus, et de fidei imbecillitate redargutus, efficit ut benediceret ei Dominus: *Vade, filius tuus vivit*; atque una nomen etiam mutaret, faciendo ex infideli Christianum. Unde qui prius a Joanne vocabatur *regulus*, postea jam credens appellatur *homo*: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.* Homo jam ratione

utens efficitur, qui prius pusillus et regulus erat. Qua ex re discimus orationes infirmorum, qualis erat hujus reguli, etiam imperfectas, non incassum fundi, sed impetrare aliquid: Nam, ait D. Cyrillus Alexandrinus, lib. IV. in Joan. cap. XXXIV. « Quomodo ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, et hoc modo mater ad fovendos filios suos provocatur: sic conquestuosus objurgationisque plenus clamor ad Deum, si ab infirmis adhuc et infantibus in habitu virtutis fit, petitionis locum obtinet. » Confirmat hanc sententiam, quod in vita S. Lutgardis virginis scribit Thomas Cantiprat. apud Surium 16. junii. Illa etenim: « Dicendis precibus canonicis sive horariis summopere in id incumberebat, ut non solum malas, sed etiam bonas cogitationes a se excluderet, et quod in mortali corpore impossibile est, iis solis, quæ diceret, animam occuparet. Sed cum id efficere non posset, grandes inde in ejus pectore existebant scrupuli, et tamquam nihil dixisset, cœpit singulas preces horarias bis terque repetere. Adeo vero hæc res animam ejus affixit, ut nullus amicorum posset eam consolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum preces pro illa, ut eam Dominus his scrupulis liberaret. Et ecce præter omnem expectationem, instar Amos prophetae induit Dominus opilionem oviculas sequentem, et posuit verbum in ore ejus. Ille mox relictis ovibus, plane rudis, ac tredecim milliaria conficiens venit in Aquiriam; accersitaque Lutgarde, cæteris audientibus dixit: Hæc dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut scrupulo angaris. Placent Deo preces tuæ, et gratæ sunt in conspectu meo. His dictis, ille repente aufugit, nec dabatur oportunitas, quisnam esset, inquirendi, aut aliquid præterea cognoscendi. At postea tamen, quis esset, rescitum est. Dominus quoque per ipsum dixit Lutgardi: Nihil posthac formides, ego hunc in te supplebo defectum. Tum illa utrobique Dominum locutum esse sentiens, tranquillitati se dedit, nec ullum postea ea in se ordinatum scrupulum passa est. » Eadem sancta, ut ibidem refertur, versu illo Latino: *Deus, in adjutorium meum intende, quem non intelligebat, et similibus, vidit a se procul dæmones fugari, maximo cum horrore. Neque hoc adeo mirandum, quia, ut B. Jordanus ord. S. Dominici secundus generalis ad hoc respondit: Gemma tantumdem valet in manu ignorantis ejus pretium, quantum in manu cognoscentis, apud Surium, 16. febr.*

IV. Regulus hoc admirandum habet, quod expertum se scribit Albertus Magnus; nempe si

deplumatus in veru parvo ad ignem apponatur, seipsum volvere, adeoque assare cernitur. Idem scribit Scaliger, l. II. de caus. plant. qui hanc causam reddit, quod ea aviculæ pars, quæ igni obversa, adeoque assata est, ascendat; ea vero, quæ non est assa, velut gravior descendat. Neque hoc abludit a nostro regulo: ipse enim, cum jam in Christum, saltem in prophetam, credere cœpisset, adeoque ad amplectendam fidem dispositus ex parte fuisset; in via, dum a servis audit filium sanatum, ut investigaret unde hoc beneficium filio provenisset, horam indagavit; atque ubi intellexit eam plane fuisse, qua Christus ei dixerat, filium ejus vivere, inde collegit eum non dumtaxat prophetam, sed auctorem collatæ sanitatis fuisse, adeoque esse Deum omnipotentem, qui vitæ et mortis haberet imperium, necnon promissum Messiam. Seipsum ergo per discursum (una cum divina gratia) perfecit in fide, adeoque vertit et convertit, ut ex integro assatus factus jam fidelis, gratissimum Christo cibum seipsum præberet. Habent in hoc regulo quod imitentur Christiani in sua ad Deum conversione. Si enim ipsi placere, et gratus fieri cibum volunt, ad ignem amoris divini seipsum assare, vertere et revertere debent, reflectendo se primo, ad accepta ab eo beneficia quotidiana et innumera, a nativitate sua usque in hanc diem, uti monet Deus Isaia XLVI. *Redite prævaricatores ad cor, recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, quasi diceret: Convertite vos ad priora tempora, quod ego vos creaverim, educaverim, e servitute Ægypti eripuerim, per desertum humeris meis, velut aquila pullos suos super alas suas, portaverim, in terram lacte et melle manantem induxerim, etc. et quid vos mihi rependeritis pro tantis beneficiis, quid mihi debeatis. Non minora, sed majora longe sunt, quæ nos Christiani a Deo beneficia accepimus. Regulus noster unico restitutæ filio sanitatis beneficio motus credidit, et ad Christum se convertit, ejusque cultui se dixit: similiter etiam Sanctus Cuthbertus, adhuc puer (postea Landisfarnensis episcopus) ex unius gentis amore laborans et claudicans, cum ab angelo specie equitis illustris, edoctus fuisset rationem sanandi pedis, sanatusque esset, tam insperato beneficio stimulatus, se totum divino amori et cultui consecravit, ut in ejus vita, 20. martii, apud Lipel. et Sur. Quid non agendum nobis, qui tot tantisque gratiis præventi a Deo sumus? Nonne vos nuperrime implevistis horrea frumento, et cellaria vestra vino? Reflectite vos parum cum regulo: Unde vobis hæc bona? Et cum Hebræis: *Manhu? Quid hoc? Unde hic panis et hoc vinum?**

Nonne cælo et Deo? Certe discipuli Christi, quando gustarunt optimum vinum ex aqua sibi factum, crediderunt novo fervore in Christum, II. Joan. II. Cur non et vos mentem in Deum tollitis? Secundo, ad ingratitudinem suam, et innumeras injurias pro tot bonis Deo repensas. Exprobravit hoc in primis Sauli regi transgressori mandati Dei, Samuel, I. Reg. XV. *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, inquit, caput in tribubus Israel factus es? Unxitque te Dominus in regem super Israel, etc. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini?* Similiter et Davidi, adultero et homicidæ exprobrabat per Nathan Deus acceptos favores: *Ego unxi te in regem super Israel, et erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, etc. et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Quæ tibi scilicet promisi, stabilitatem regni in prole, Messiam e domo tua nasiturum, etc. II. Reg. XII. Rocogitet unusquisque, quæ et ipse mala Deo retribuit pro tantis ejus bonis: legat in pavimento et pulvere descripta sua peccata, cum Scribis et Pharisæis illis, Joan. VIII. et videat an non ipse quoque præ confusione subducere se ab oculis Dei debeat.

V. Regulus dum in veruculo affixus ad ignem sese versat, vertit consequenter et veru secum, cui affixus est. Regulus etiam noster non se solum vertit, quando ad Christum se convertit, sed una secum totam domum suam, cui et ipse suo modo affixus erat: *Credit enim ipse et domus ejus tota; et hæc cujus instinctu et imperio, nisi sui patrisfamilias? Discant ergo ab hoc regulo familiarum reguli, et juxta suam fidem ac pietatem reforment et instituant domos suas. Prævierrunt illis exemplo suo Cornelius, Act. X. Lydia purpuraria, Actor. XVI. et ibidem custos carceris Crispus archisynagogus, Actor. XVI. qui una cum suis familiis susceperunt fidem, trahentes eas ductu suo. Idem in vita S. Sebastiani legitur 20. jan. apud Surium de Chromatio præfecto, qui fidei manus dans, pertraxit ad eandem 1400. servos suos; postquam is divino etiam beneficio, uti filius reguli, a gravi infirmitate convaluit. Sequantur ergo hos et alii patresfamilias; ac primo, convertant, quantum fieri potest, ad fidem et Dei timorem suos domesticos: eos vero, qui pestes quædam in domo sunt, expellant cum Davide, Ps. C. *Non adhæsit mihi cor pravum, etc. et cum Abrahamo ejiciant ancillam, quæ domum perturbat, aut levitate sua inficit. Secundo, expurgent domos suas a bonis injuste partis, una cum Zacchæo jam converso: Si quid aliquem de-*  
IV. PARS ESTIVALIS.*

*fraudavi, reddo; simplum saltem, si non quadruplum; quia alioquin qui aliena possidet; Edificabit sicut tinea domum, inquit Job, cap. XXVII. tinea autem domum quam inhabitat, lignum scilicet aut vestem, perdit ac corrodit: ita bona injusta devorant domum, in qua hospitantur. Tertio, averruncent imagines obscenas cum rege Ezechia, qui confregit serpentem æneum, quod scandalo esset Hebræis, ita ut adolorent ei incensum, IV. Reg. XVIII. Scimus Lev. XIV. § XL. præceptum fuisse Hebræis, ut lapides infectos domus leprosæ eruerent, et projicerent extra civitatem, lapidesque alios sanos reponerent, ne alioquin tota domus lepra inficeretur. Quid hoc? Albertus, serm. in dom. III. advent. id explicat: *Leporam, inquit, habent in domo, qui in thalamis suis depingi faciunt imagines lascivas, quasi chortinantes, et sese mutuo amplexantes; qui etiam cortinas hujusmodi imaginum suspenderint ad parietes suos. Eruant hos lapides qui vere ad Christum conversi sunt. Quarto, tollant, et Vulcano donent libros hæreticos, obscenos et magicos, exemplo illius mathematici, de quo S. August. in Ps. XVI. ait: *Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* Baalis aræ sunt libri hujusmodi, in quibus se suaque immolant Satanæ lectores. Audiant illi B. Thomam archiepiscopum Valentinum, concione I. in dom. I. quadragesimæ: *Lectio, inquit, profana librorum, quibus tantum gaudet levitas humana, destruit mores juvenum, inclinat ad vitia et vanum amorem, facit carnosos et mundanos. Non debet quisquam tolerare hujusmodi libros in domo sua, atque permittere quod filius vel filia legat ipsos. Boni pastoris optimum monitum. Hos sequimini, auditores, et in primis regulum nostrum, ut de vobis quoque dici queat: *Credidit ipse et domus ejus tota.****

CONCIO III.

QUA RATIONE DEUS UBIQUE PRÆSENS SIT,  
ET CONCIPI A NOBIS QUEAT.

I. Est ubique præsens. — II. Omnia intuetur. — III. Ubi que operatur.

THEMA.

*Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*  
Joan. IV.

Videntur verba ista reprehensionem continere, et modicam vel nullam reguli fidem arguere. Causam explicat S. Gregorius, in hom. XXVIII. quæ est in hoc evangelium: *Poposcit namque,*

inquit, *ut descenderet et sanaret filium ejus. Corporalem ergo Domini praesentiam quarebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putavit salutem posse dare, nisi praesens esset et corpore. Si enim perfecte credidisset, procul dubio sciret, quia non esset locus, ubi non esset Deus, etc.* Sic ille. Non solius reguli, sed multorum etiam Christianorum est hic error, dum Deum ubi vis locorum, adeoque etiam sibi praesentem adesse, licet forte speculative credant, tamen practice negant; dum adeo dissolute vivunt, ac si Deum a se quam longissime abesse existimarent. Nimirum sensuales homines toti sensibus inhærentes, quia ipsi Deum praesentem non vident, ideo ad praesentiam ejus, videlicet creditam, minime attendunt. Non capiebat regulus quomodo absentem filium Christus sanare posset, divinitatis ejus immensitatem minime percipiens. Non capiunt etiam multi alii, qua ratione Deus sit in omni loco, adeoque ubi vis praesens; idcirco hoc quaedam tenus conabimur explicare.

Theologorum dictum est: *Enter, praesenter, Deus est, et ubique potenter.* Quod explicat D. Thomas, I. p. q. VIII. art. III. exemplo regis, qui primo, est per essentiam in ea regni sui parte, in qua habitat, stat, sedet vel cubat: secundo, per praesentiam in ea, in qua oculis propriis contemplatur ea quae fiunt, v. g. in theatro vel conclavi suo: tertio, per potentiam in toto suo regno; quia nimirum per illud totum ipsius actio et gubernatio saltem intervencu ministrorum diffunditur. Omnibus his modis Deus est ubique, longe tamen perfectius. Primo, per essentiam, non aliquem dumtaxat determinatum locum, sed omnia implens. Secundo, per praesentiam: quia non videt solum ea, quae in caelo aut in uno aliquo loco fiunt, sed omnia quae in caelo et in terra et ubique locorum contingunt. Denique, per potentiam, quia non solum per angelos aliasque creaturas, sed etiam per seipsum omnia operatur quaecumque fiunt. Omnia complexus est S. Augustinus, cum in epistola ad Fortunatum scripsit: «Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est: totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: totus pes est, quia ubique est.»

I. Igitur totus est pes, h. e. ubique praesens, per essentiam suam adest, omniaque implet. Quod primo, sic describitur Isa. LXVI. *Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* More humano loquens, indicat se cælum et terram non modo implere, sed etiam longe ulterius per immensa vacui spatia excedere; ita ut cælum sit ei quasi thronus tantum, in quo gloriam et magnificentiam suam

angelis et beatis omnibus ostendit: terra autem velut infima mundi pars, non nisi instar parvi scabelli, quod uno pede evertere, et quaecumque versare queat. Quare juxta hanc descriptionem omnes homines, et quicquid supra terram est, quasi ante pedes Dei, et circa ejus scabellum jacent in ejus conspectu, sicuti discipuli ad pedes sui magistri circumsedentes, in quos ipse semper oculum figit, uno intuitu omnes contemplanans et circumspiciens: necnon garrientes et petulantes observans, suoque libello inscribens, ut suo tempore puniat. Cogitemus igitur terram hujusmodi scabellum, mundum totum scholam esse, nosque ad pedes Dei velut discipulos ejus sedere. Quis tam insolens esse audebit? II. Jerem. cap. XXIII. *Numquid non cælum et terram ego impleo, dicit Dominus?* q. d. audeatne aliquis homo meam immensitatem in dubium revocare? Sed qua ratione implet? Sicut lux solis, ubi non impeditur, totum pervadit aerem, et lucidum ac perspicuum reddit; ita multo perfectius Deus penetrat et implet totum universum. Sol non per se, sed per lumen a se productum virtute lucis suae pervadit aerem; corpora autem densa pervadere non potest: Deus autem, qui est sua ipse virtus, et quidem potens, per seipsum omnia permeat ac penetrat, non secus ac si concipiatur corpus solis esse tam vastum, ut circumdet et in se includat ac penetret quicquid in caelo est. S. Augustinus, lib. VII. confess. cap. V. sic rem concipiebat: «Constituebam in conspectu spiritus mei universam creaturam, quicquid in ea cernere possumus, sicut est terra, et mare, et aer, et sidera, et arbores, et animalia mortalia, et quicquid in ea non videmus, sicut firmamentum caeli, insuper et omnes angelos, et cuncta spiritualia ejus, sed etiam ipsi quasi corpora essent, locis et locis ordinavit imaginatio mea, et feci unam massam grandem, distinctam generibus corporum creaturarum tuarum, sive quae vera corpora sive quae ipse pro spiritibus finxeram, et eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram; sed quantum libuit undique versum sane finitam. Te autem ex omni parte ambientem eam et penetrantem, sed usquequaque infinitum, tamquam si mare esset ubique; et undique per immensa spatia infinitum solum mare, et haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam, tamen plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari. Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, et dicebam: Ecce Deus, et ecce quae creavit Deus, et bonus est Deus, atque his validissime longissimeque praestantior; sed tamen bonus bona creavit, et ecce

quomodo ambit atque implet ea.» Quare, sicuti pisces innatantes mari ambiuntur undique mari, (tametsi non penetrentur) ita homines aliæque creaturae in Deo sunt et moventur, et insuper a Deo etiam penetrantur; sicut ait S. Paulus, Act. XVII. *In ipso vivimus, movemur et sumus.*

Tertio, Isa. XL. dicitur: *Quis mensus est pugillo aquas et caelos palmo ponderavit?* q. d. quis nisi Deus continet in manu sua terrarum orbem, et in pugillo suo caelos? Quare, sicut imperator in globo aureo, quem manu gestat, totum orbem sibi subjectum et gubernandum representat; ita Deus caelum et terram quasi pilam aut pomum unam manu sua comprehendit, inspicit, regit, et in immensum excedit. Tali forma S. Benedictus, in oratione totum mundum quasi parvum globum in radiis solis collectum, et in eo ss. angelos cum anima S. Germani episcopi Capuani ad caelum euntes vidit. Quærenti, quomodo id fieri potuerit, respondit quia: *Videnti Deum angusta est omnis creatura.* Refert S. Gregorius, lib. II. dialog. cap. XXXV. Gerit igitur Deus totum mundum in manu sua, quasi globum luminosum et perspicuum, in quo uno intuitu aspiciat quicquid in ipso est et fit: neque solum gestat, sed et sua essentia penetrat et ambit, sicut ignis ferrum, quod ignivit, imo magis intime.

II. Est totus oculus, quia omnia contuetur, et quidem accuratissime, omnia penetrans et pervidens, tam futura et præterita, quam præsentia. Ita in primis apostolus ad Hebræos IV. ait: *Non est nulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* In quem locum Sanctus Chrysostomus scribit: *Sicut enim cum pecudes occiderit quis, et ex carnibus detraxerit pelles, omnia interiora revelantur, et aperta sunt oculis nostris; sic et Deo aperta subjacent omnia.* Metaphoram desumpsit a verbo Græco, quo utitur apostolus, et significat vel excoariatio, ut intellexit Chrysostomus; vel dissectio et denudatio intestinorum, ut Gagneus, ut intelligamus nihil coram Deo abscondi vel includi posse, quod ei non pateat. Judæi in obsidione Jerosolymæ sub Tito, cum ex urbe fugitivi spoliarentur auro a militibus Romanis, hoc excogitarunt, ut aurum devorarent, et sic cum auro effugerent, teste Josepho, lib. VI. de bell. cap. XV. Verum deprehensi a militibus, per medios ventres secti sunt, aurumque inde extractum. Vult ergo dicere apostolus: Etsi in viscera sua intima abscondat quis peccata sua, tamen ea videt Deus, cui omnes conscientiae nude et aperte sunt. Quare, sicut Acacius Berrhææ in Syria episcopus aedes suas, etiam somni et cibi tempore, monibus patere voluit, ut nihil nisi quod hones-

tum est, ageret vel meditaretur, veritus semper adventantium turbam (teste Nicephoro, lib. XII. cap. XLVII.) ita decet cogitare nos, quasi in domo semper aperta et omnibus pervia habitemus, omniaque nostra serinia semper sint patula Dei oculo, omnia conclavia, cubilia, triclinia. Idem affirmat Job, cap. VII. dicens: *Oculi tui in me, et non subsistam,* q. d. nullibi possum effugere oculos tuos, ubicumque sim; adeo nusquam tutus effugere a conspectu tuo subsistam. Fiunt arte pictorum tales hominum facies, quæ ex omni parte adstantes aspiciunt, vel in eos arcum intendunt, sive illi ex opposito, sive a latere stent. Hujusmodi facies est Deus, cujus oculi et sagittæ semper in nos collimant, ubicumque stemus. Unde monet S. Augustinus, serm. XLVI. de verbis Domini: «Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? Videris. Intras? Videris. Lucerna ardet? Videt te. Lucerna extincta est? Videt te. In cubile intras? Videt te. In corde versaris? Videt te. Ipsum time, cui cura est, ut videat te; et vel timendo castus esto: aut si peccaveris, quære ubi te non videat, et fac quod vis.» Julius Drusus desideravit sibi talem domum strui, in quam omnes vicini liberum prospectum haberent, adeoque oculis suis cernerent, quicquid ipse domi ageret, apud Lycost. in apophth. Talem domum nos omnes inhabitamus; licet enim vicini nesciant, quæ domi et in lateribus agamus, videt tamen Deus, cui totus mundus quasi una domus patula est. Domitianus imperator tempore suspecti periculi appropinquante sollicitior in dies, porticum, in quibus spatium consueverat, parietes sphengite lapide speculari distinxit, e cujus splendore per imagines, quicquid a tergo fieret, provideret, auct. Sueton. in Domit. cap. XIV. Deo totus ex sphengite mundus est; in ipso quacumque te veras, cerneris a Deo, cernuntur etiam quæ in corde geris, quo sphengites non pertingit. Neque ideo nos non videri credamus, quod nos Deum non videamus. Ad hoc enim respondet sponsa Cantic. II. *En ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per cancellos.* In quæ verba S. Bernardus: «Præsto est, inquit, oculus cui omnia patent, etsi non patet ipse. Vereor aspectum exploratoris Mius, qui post parietem stat, quem pro acumine visus capræ assimilavit Scriptura: hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem.» Reperimus quandoque imperatores per cancellos inspicere reos, ut non visi eos viderent; quo spectavit Anastasius, qui de S. Martino papa agens, ait in iudicium raptum, in solarium dispositionis, ubi imperator per cancellos eum aspiceret. Hunc in modum Deus quasi per can-